

IOANNES NOPEL VICARIUS COLONIENSIS.



Ioannes Nopel à Lipia apud Belgas honesto
loco natus fuit. Is cum felici ingenio esset p̄d-
tus, diligenter operam literis dedit, & in uirum do-
ctissimum euasit. Itaq; Coloniensis Archiepiscopi
in spiritualibus Vicarius, atq; Cyrenensis Episco-
pus declaratus fuit. Erat is singulari facundia & ui-
te innocentia conspicuus. Vnde docendo & con-
cionādo apud Colonenses Catholicis plurimū
profuit, atq; aduersarijs Euangelicis fortiter resti-
tit. Cum hoc modo apud Belgas in magna autho-
ritate esset, florētibus adhuc annis, tertio nonas Iu-
lii 1556 obiit, & Coloniæ ob functionem p̄clare
administratam inter illustres dominos capitulares
summi templi, haud procul à capsa trium regū, honorifice sepultus fuit. Laur.
Sur. in Naucleri appendice.